Aurea astra polum arctoum illustravère, cum professionem sacrarum lingg. or...

Lönqvist, Olaus Matthiae,

1 Ic 1698 Lund, David

National Library of Sweden

8 30.

AUREA ASTRA

Polum Arctoum illuſtravère,

Cum

Profeſſionem Sacrarum Lingg. Orientalium ad Auraicas Muſas, ſuo ſucceſſori committeret, & munus ibidem S. S. Theologiæ â S. R. M. obeundum ſuſciperet,

VIR CELEBERRIMUS

DN. M. DAVID LUND/

Luce inquam 13. Cal. Martii, Anni reparati orbis M. DC. XCVIII.

Qvam eandem ejus nominis cultores applauſibus ſuis in devotæ mentis teſſeram quamvis ſimplicitèr compoſitis cohoneſtare voluere.

20

Ut Tibi dulce canunt, celebrisq; & amande Profeſſor!
Caſtalidum populi gratantes pectore læto,
Thejologi *munus ſanctum dum ritè capeſſis,*
Quod qvoqve lingvarum ſis dignè munere functus.
Inqve his qvanta Tibi laudis ſtat palma parata
Dicere non valeo, Reverende & Magne Patrone?
Sic meus affectus ſubmiſſa effundere vota
Incipit, & tentat venerabile tollere nomen.
Aſt ego cum novi gracilis quam ſit mea Muſa,
Inculta & tenuis, qvæ doctis dura futura eſt,
Nil tamen obſeqvium Tibi me præſtare vetabit,
Cum meritis grates dignas retuliſſe negatur.
Salve! mite decus, *lux ingens Thejologorum,*
Fulgida ſtella *ſimul,* Mæcenas *optime Salve!*
Det DEUS ille alti cæli terræqve Monarcha
Ut Tibi *ſuccreſcant ſua quæ ſunt optima dona!*
Quo valeas ſemper felix hoc munere fungi,
Quod grave nunc onus eſt humeris colloque receptum.
Augeat & porro vitam, DEUS augeat annos,
Exactisque illis ſcapiant Te *mœnia cœli!!*

JOH. H. Thorwöſt.